

cap. 196 Quatuor questiones de potentia pape super imperium.

Ex his que dicta sunt plures insurgunt dubitationes: Prima est, quomodo papa vel quo iure potuit imperium transferre de Grecis ad Theutonicos. Secunda questio est, quomodo potuit dari Karulo imperatori ius elligendi papam. Tertia est, quomodo potuit imperator eximi a subiectione ecclesie. Quarta questio est, quomodo dicatur, quod imperium translatum sit de Alamania ad Ytaliā in personam Lodovici pii.

Circa primam questionem est sciendum, quod imperium non est nec esse potuit extra ecclesiam¹⁾ id est apud aliquem ydolatram vel hereticum, sicut evidenter probatum est supra capitulo CV^{a)}. Imperium vero^{b)} a deo institutum et divina dispositione preordinatum fuit in Moyse²⁾ sacerdote, qui non fuit^{c)} ab homine sed a deo institutus; quod autem fuerit sacerdos, habetur in Psalterio³⁾, ubi dicitur: 'Moses et Aaron in sacerdotibus eius.' Ipse fuit iudex populi et temporalis dominus, quia^{d)} iudicavit populum de hereditatibus et successionibus, sicut habetur in libro Numerorum capitulo xxvii.⁴⁾; et eiusdem libri capitulo ultimo⁵⁾ habetur, quod iudicavit filias Salphath^{e)} et defectum filiorum succedere, sic tamen quod extranee tribui non miscerentur²⁾. Item⁶⁾ habetur in libro Exodi capitulo xviii.⁷⁾, quod ipse Moyses sacerdos prefuit toti populo, a quo ceteri principes tribuni et centuriones quinquagenarii et decani acceperunt iuditiariam potestatem iudicandi in causis facilioribus ipso iudicante in gravibus⁸⁾. Similiter⁸⁾ Heli fuit sacerdos et Samuel, qui multis annis iudicaverunt populum in temporalibus, ut habetur in libro primo Regum⁹⁾. Insuper Mathathias fuit sacerdos et filii^{f)} eius, qui iudicaverunt populum in temporalibus, sicut habetur in libro primo Mach. et tertio per totum¹⁰⁾. Cum ergo dicat apostolus¹¹⁾, quod quecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, et quod¹²⁾ illis veteris testamenti omnia contingebant in figura secundum^{h)} modum synagoge, quia¹³⁾ sacerdotes imperabant in temporalibus super populum fidelem, erit etiam et modus regiminis ecclesie, quia a summo pontifice romano, qui preest toti ecclesie, derivabitur omnis potestas iuditiaria in populo dei. Unde Christus imperator existens temporalis totius mundi, sicut supra probatum est capitulo LXI, contullit beato Petro iura celestis imperii et terreni, sicut supra probatum estⁱ⁾ capitulo LXVII. Quod autem concessum fuerat pape ex iure divino, scilicet quod esset imperator spiritualis et temporalis, hoc lege imperiali est roboratum, quia Constantinus donavit ecclesie imperium occidentale et orientale¹⁴⁾, sicut supra dictum est capitulo CVI^{k)}. Cum ergo papa habeat plenum et merum imperium super totum orbem de iure divino et humano, videns quod imperatores Grecorum in diversos errores incidissent et ecclesiam defendere nolent, ipsos Grecos imperio privavit et ad Theutonicos transtulit, qui semper ecclesiam defenderant, sicut patet de rege Pipino et Karulo filio eius.

cap. 196 a) CLVIII BW b) verum B c) fuit non tr. W d) qui B e) filios Saphath BW f) filius W g) primo libro tr. W h) sed B i) probatum est om. B k) CVIII BW

¹⁾ Vgl. X. 1. 6. 34 Gl. ad v. In Germanos und J. Muldoon, Stud. Gratiana 9 (1966) S. 551 ff. ²⁾ Moyse — miscerentur vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 205, 33—37. ³⁾ Ps. 98, 6. ⁴⁾ Nm. 27, 1 ff. ⁵⁾ Nm. 36. ⁶⁾ Item — gravibus vgl. Petrus de Palude, Tract. 205, 20—25. ⁷⁾ Ex. 18, 13 ff. ⁸⁾ Similiter — totum (vor Anm. 10) vgl. Petrus de Palude, Tract. 205, 37—206, 2. ⁹⁾ 1. Rg. 2, 36. ¹⁰⁾ 1. Mc. 2—3. ¹¹⁾ Rm. 15, 4. ¹²⁾ Vgl. 1. Cor. 10, 11. ¹³⁾ Vgl. CM cap. 348. ¹⁴⁾ Zu diesem Gedanken vgl. Jakob von Viterbo, De reg. christ. 2, 5 S. 221 f. und 2, 8 S. 255 f.; danach bei Alexander a S. Elpidio, De eccl. pot. II 2, 10 S. 16, II 8, 2 S. 23 und II 8, 20 S. 25.